

De ossium pubis synchondrotomia : dissertatio medico-chirurgica quam sorte objectam in Alma Parisiensi Facultate Medicam, die [30] augusti mensis, anno 1811, praesentibus competitionibus judicibus, competitorum objectionibus publice discutiendam / proponent J.B. Demangeon.

Contributors

Demangeon, J. B. 1764-1844.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Parisiis : Typis A. Belin, 1811.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/kjtqtste>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

COMPETITIO AD OBSTETRICII CATHEDRAM.

DE OSSIUM PUBIS
SYNCHONDROTOMIA;

DISSERTATIO MEDICO-CHIRURGICA

Quam sorte objectam in Alma Parisiensi Facultate Medica, die
30 augusti mensis, anno 1811, præsentibus competitionis
judicibus, competitorum objectionibus publice discutiendam
proponet


J. B. DEMANGEON,

Artium liberalium Magister, Medicinæ Doctor Parisiensis, Spinalii jam
antea Obstetricum ab Auctoritate Suprema Professor, nec nullarum
Societatum Medicarum Sodalis.

PARISIIS,

TYPIS A. BELIN, VIA MATHURINENSIIUM.

1811.



PRÆSES, D. DE JUSSIEU.

JUDICES, DD. { LEROUX.
A. LEROY.
CHAUSSIER.
BOURDOIS.
A. DUBOIS.
EVRAT.

JUDICES SUBROGATI, vernaculè *Sup-* { LALLEMENT.
pléans, DD. { RICHERAND.
AUVITY.

DE OSSIUM PUBIS

SYNCHONDROTOMIA.

SYNCHONDROTOMIA vel, ut alii malunt, Symphysiotomia insignitur cartilaginis ossa pubis mutuo connectentis sectio, qua pelvis fœtui maturo et vivo impervia, ex inde diducta ampliatur. An hujus sectionis auxilium præsenserit *Hippocrates*, dum, de natura pueri dicens, monuit *lumbos et coxendices puerperis diduci*, aut *Galenus* annuerit, cum, partes continentes seu externas memorans, narrat *illas non tantum dilatari sed etiam secari tuto posse, ut internis succurratur*, non satis constat. Jam diu vero medicis, præsertim obstetricantibus compertum est, in feminis junioribus, instante partu, genitalia et ipsæ cartilagine ossium pelvis intumescere, emolliri ac dilatari, hincque propter ossium diductionem laxioremque compaginem prægnantes et puerperas non nisi imbecillo et molesto gradu sæpius incedere. Hujus rei in thesi publica, anno 1739, a doctoribus *Bouvard* ac *Bertin* affatim quidem jam demonstratæ accedunt et anatomicorum testimonia, nam, ut de cæteris taceam, sic eloquitur *Riolanus* (1): « Fateor quidem in viris cartilagineam copulam ossium pubis » duram esse, quæ tamen si culter per copulam exacte ducatur, » nullo negotio separatur. At in mulieribus mollior est, et in » gravidis ante partum onctoso humore imbuta, crassior apparet. » Citatis deinde *Spigelio*, *Sylvio*, *Fernelio*, aliis que suæ opinionis auctoribus, sic pergit idem: « Sed quid opus est » testibus in re tam manifesta? Sola experientia fidem faciet.

(1) *Anatomica seu Anthropographia*, l. 6, c. 12, ed. 1649.

» Sæpius atque trigesies in mulieribus a partu extinctis, vel
 » paulo ante enixum, vidi, præsentibus medicis et chirurgis,
 » cartilaginem quæ ossa pubis colligat, minimi digiti latitudine
 » diductam, ita ut hiulca ossa pubis apparerent, si digito intus
 » attrectarentur. Quod etiam ante dissectionem cadaveris inno-
 » tescebat, uno crure sublato; sic enim ossa pubis mobilia de-
 » prehendes, unumque alteri super-eminere. Atque, anno 1631,
 » mense januario, cum publicam anatomen administrarem mu-
 » lieris, quarto die a partu suspendio strangulatæ, præsentibus
 » ac spectantibus trecentis auditoribus, in scholis medicorum de-
 » monstravi, commissuræ ossium pubis interjectam cartilaginem
 » digiti latitudine laxatam; quin etiam ossis sacri cum ossibus
 » ilium commissuras mobiles admodum scalpello tenuissimo fa-
 » cile separavi. » De ossibus alio loco commentans addit :
 » Hæcque symphysis in viris atque mulieribus non adeo est stricta
 » atque volunt recentiores, ut dirimi nequeat, nisi vi adacto
 » scalpello; nam qui commissuram exacte deprehendere potest,
 » scalpello acutissimo, cujus dorsum æquale sit aciei, facillime
 » separabit tam in viris quam in mulieribus. »

Utrum ex allatis et ejusmodi scriptis, aut è solo ingenii
 acumine Synchronotomiam deprompserit illius inventor, Jo-
 hannes Renatus *Sigault*, Divonensis, Parisinæ Facultatis Doc-
 torum numero adscriptus, conjectationibus multifariam argutari
 vix operæ pretium censeo. Verum enim vero sectionem Sym-
 physeos ossium pubis, quâ nemo antea parturientibus opitulatus
 erat, animo agitans *Sigaultius*, anno 1768, Academiæ Regiæ
 Chirurgorum Parisiensi in locum Cæsareæ sectionis surrogandam
 proposuit, rejectamque, innuente *Rufel* illius Academiæ manda-
 tario, iterum Thesi publica (1), anno 1772, Andegavæ propugna-

(1) Sub hoc titulo : An in partu contra naturam sectio symphyseos ossium
 pubis sectione cæsarea promptior et tutior ? Aff.

vit, atque tandem Lutetiæ, die secundâ mensis Octobris, anno 1777, in femina à marito *Souchot* vocata, salvis matre ac prole, cum adjutore et propugnatore Alphonsio *Leroy*, præillustri scholæ Parisiensis nunc Professore celeberrimo, tentavit. Nobilitatæ tunc successu eventusque fausto novæ operationis obmutuerunt adversatores, atque honore salutiferæ inventionis haud multo post impertita est Facultas Medicinæ Parisina quæ, auditis *Grandclas* et *Descemet*, de sibi mandata inspectione mulieris per Symphyotomiam enixæ infantisque laudabiliter eloquentibus, adductisque, à peracta Symphyseos sectione die sexagesimo, ad congregatos Doctores matre et filio *Souchot*, vivis et sanis, decrevit, die sextâ mensis Decembris, anno 1777, nummos argenteos cudi, centumque illorum *Sigaultio*, et quinquaginta adjutori *Le Roy* dari, his in memoriam operis et meriti inscriptis :

Anno 1768

Sectionem Symphyseos ossium pubis invenit, proposuit;

Anno 1777

Fecit feliciter M. Sigault, D. M. P.

Juvit M. Alphonsius Leroy, D. M. P. (1).

Symphyseos sectionem, scrutandi, ne dicam laudandi vel improbandi scopo, tum in vivis ita in mortuis mulieribus et brutis exercuerunt deinceps plurimi Medici atque Chirurghi, quos inter primi veniunt *Camper* ac *Cambon*, ast successu maxime emi-

(1) V. le Récit imprimé in-4°. chez Quillau, en 1777, par ordre de la Faculté; et Recherches historiques et pratiques sur la section de la symphyse du pubis, pratiquée pour suppléer à l'opération césarienne, le 2 octobre 1777, sur la femme Souchot; par M. Alphonse Leroy, Docteur-Régent de la Faculté de Paris, Professeur, etc. A Paris, chez Leclerc, 1778.

nent Alphonsius *Leroy* atque Antonius *Dubois*, ambo per-illustris scholæ parisiæ, nunc lumina clarissima. Ex recensitis collatisque omnium tentaminibus et experimentis multifariis, quæ in suo libro cui titulus est, *l'Art des Accouchemens*, vix non adæquate memoravit præclarus *Baudelocque*, Medicis fere cunctis nunc liquet;

1°. Sectas cartilagines iterum mutuo coalescere, nec ullum inde impedimentum exoriri, quominus enixæ iterum facile progrediantur laboribusque consuetis incumbant; de quâ re dubia permulta pridem moverunt antagonistæ;

2°. Sectionem symphyseos ossium pubis rite et caute factam omni periculo vitæ per se vacare, sicque multo minus exitialem esse quam partus cæsareus vel cautissime et maxima arte institutus;

3°. Canalem seu fornicem osseum parturientium plus minusve pro majore vel minore formæ et capacitatis vitio à Synchondrotomia reapse ampliari, eoque auxilio fœtum per iter naturale, alioquin impervium, feliciter sæpius educi posse;

4°. Cum vero pelvis diameter antico-postica seu conjugata non ultra duos pollices et dimidium extenditur, Symphysiotomiam nunquam esse usurpandam, utpote scopo, scilicet fœtui vivo per iter naturale educendo imparem, necnon mulieribus ominosam, propter dilacerationis copularum ossis sacri cum ossibus innominatis à nimia diductione periculum;

5°. In cæteris casibus, cum nempe diameter antico-postica ultra duos pollices et dimidium extenditur, Symphysiotomiam nihilominus cautelis adhuc multis obnoxiam et bono omine vix unquam adhibendam esse, ob incertam fœtus capitosi, morborum, vel monstrosi molem, nullo instrumento pelvis capacitati æquiparandam; unde ultimum concludere par est, raram esse synchondroseos sectionis opportunitatem, eique anteponendam esse

sectionem cæsaream, cuilibet partui natura, manu, vecte, forcipe, aut hamo obstetricio non educendo semper sufficientem.

Illa quinque argumenta, indagationis synchondroseos sectioni tantillum obversæ doctissimi *Baudelocque* sequelas, admiserunt suæque in suis libris fecerunt plerique Medici et Obstetricantes, studio aut fiducia potius in magistrum inducti, quam autopeira, seu experientia à semetipsis recreata commoti; unde à synchondrotomia longius desistentes ei partum cæsareum, malo funestissimoque omine, anteposuerunt. A mulierum cæsareo partu enixarum necnon cæsonum casu, expertissimis et indubitatae veracitatis artis chirurgicæ magistris vix unquam eluctabili, perterriti hærent nunc cæsareum partum inter et symphyseos sectionem dubii medici quam plurimi, illum exitialem ac funestum, hanc vero cautelis innumeris obnoxiam, ni fallat, reputantes. Nobis hinc monitis sedulo ac sincere indagandum incumbit, quod iter tenendum, ne Charybdim vitare cupientes in Scyllam incidamus.

Nupera at certa patefecit experientia partum maturum et vivum, sectionis symphyseos ossium pubis ope, in pelvim cujus diameter antico-postica nequidem ad duos pollices et quadrantem extenditur, salva matre, traduci posse; unde arguendum est Synchondrotomiam, non nisi ob perperam præjudicatamque opinionem, aut ob incuriam bonis lugendam, gastro-uterotomiæ, magno matrum infantumque discrimini et exitio sæpius postpositam fuisse. Ne quid temere jactavisse reputer, opus illustrissimi Professoris *A. Dubois*, doctissimique Competitoris *Gardien*, maxime celebrandum, quod cum ducentis saltem aliis testibus egomet adjuvans vidi comprobavique, paucis enarrabo. Mulier, nomine *Maria Francisca Lausanne*, statura deformis et parva, valetudine debilis, annis 27 nata, à septimo ætatis anno emollitione ossium et à duodecimo dorsi incurvatione vexata, pelvim diametri conjugatæ non ultra duos pollices et

duas tresve lineas extensæ habens, jam bis antea enixa, prima vice quidem, partum septimestrem non nisi excerebrationis ope eductum, altera autem vice quæ advenit, die nona mensis julii, anno 1808, in Parisiensi matrum hospitio, partum maturum ast non vivum, una mole nec lacerum ope synchronoseotomiæ à Professore *Dubois* institutæ, vergente ad gastro-hysterotomiam collega *Baudelocque*; illa, inquam, ad partum cæsareum ex judicio rataque opinione commendatissimi artis obstetriciæ magistri *Baudelocque* nata mulier, symphyseotomiam à quo jam passa erat, et iterum passa est die 25 mensis octobris, anno 1809, salvis ipsa matre et partu. Posita nempe in situ horizontali muliere, pelvi paulo elevata, genibus flexis, deductis firmatisque adjutorum manu cruribus, derasa pube, antestans Professor *Dubois*, scalpellum truncum nec aliud quodvis instrumentum gerens, sectione longitudinali securo solertiaque manu integumenta solvit, denudatamque ossium pubis symphysim transcidit, illæsis omnibus internis; peracta autem transscissione, ossa pubis jam sponte dehiscentia Doctor *Danyau* unum, ego vero alterum crus tenentes, lente, caute et sine puerperæ dolore manifesto paulo magis diduximus, dum Doctor et nunc Competitor *Gardien* infantis pedes manu sagaci arripiens (capite nequaquam pelvim ingresso aut fixo ut à forcipe, primæ intentionis instrumento, appeti pateretur) corpus ejusdem gradatim ac prudenter detraxit, hærensque deinceps margini pelvis superiori quasi adfixum caput forcipe excepit, nec nullo negotio sed mira sollicitaque arte, manibus forcipi opportune succedentibus, penitus foras eduxit. Infante luci edito, partes puerperæ diductas ad invicem reduci et loro contineri, vulnusque, simplicis ad instar, linteo molli retegì curavit chirurgiæ Doctor *Roux*. Ex illo partu artificiali, alteræ in eadem fœmina synchronoseos sectionis ope peracto, ab innumeris fere medicinæ studiosis Doctoribusque præter jam dictos egregiis *Capuron*,

Bafos, Marjolin, Marchais, Audibert, Chirac, etc. conspecto, convaluit perfecte muliercula, vigente ejusdem puero (1).

Errant itaque, sua vel aliorum hallucinatione male suasi, qui diametrum conjugatam infra duos pollices et dimidium symphysiotomiæ repugnare opinantur. Fucosæ adversatorum loquelæ fucatis superstructæ sunt experimentis. Non enim in vivis et puerperis reluctant aut dilacerantur ligamenta pelvis postica, eo quo fit modo in mortuis, et a puerperio remotis, ubi rigore ac siccitate correpta sunt. Neque a laterum diductione protruditur antice os sacrum in pelvi naturali, obstante præterea infantis capite, quo fit modo in pelvi chartacea artefacta, insuperque vacua. Rem perbelle jamdiu demonstraverunt tot multisque bonis flebilis *Thouret* (2), quo orbamur omnes, lugendusque scientia et animi ingenuitate insignis *Giraud* (3). Notandum insuper venit tubera capitis fœtus in hiatu ossium pubis, foveaque ossi sacro et innominatis postice impressa collocari, eoque situ illius diametrum magna parte imminutam pelvis diametro antico-posticæ, totique capacitati æquari magis quam vaticinati sunt illi, qui partûs cæsarei asseclæ, multa symphyseos sectioni secunda reticere obversa vero fingere a phantasia propellebantur. Inde in experimentis, pro habita unius alteriusve operationis prædilectione, inter se discrepantes medici, contenderunt alii diametrum pelvis minorem octo tantum lineis, alii vero decem et amplius augeri a trium pollicum ossium pubis diductione quæ summam esse

(1) Vide hujus operæ historiam à D. *Gardien* enarratius editam in : *Bulletin des Sciences médicales, publié au nom de la Société médicale d'Emulation de Paris ; Février 1809.*

(2) V. Mémoire sur les Symphyses postérieures.

(3) In scriptis sparsis a me in *Examen critique de la doctrine et des procédés du C. Sacombe*, et a doctore *Gardien*, in suo libro de *Obstetriciis*, necnon alias pluries citatis.

censerunt. Quod ad me attinet, diametrum minorem, plus minusve pro varia pelvium forma, vix vero infra duas lineas a diductione unius pollicis in vitiata pelvi, augeri opinor, nec a mea opinione dissentiunt ipsi symphyseos sectionis adversatores. Sed quid moror, extemporale opus, ne artis ope defraudentur ægri, furtim elucubrare compressus? Sufficiat ergo præcipua compegisse et ultima hæc conclusionis specie adjicere. Quia nempe *non facienda sunt mala ut eveniant bona*, nec itaque mater insons pessumdari licet ut servetur fœtus, synchondrotomiam seu sectionem symphyseos ossium pubis, in omni casu sectioni cæsareæ anteponendam arbitror, cum partus maturus et vitalis pelvim coarctatam nullo alio modo quam alterutra sectione transduci potest. Ne vero quis contra illam meam sententiam redarguat alio hoc adagio: *qui non servat cum servare potest, idem facit occidenti*; addo, meo arbitrio, magis matri nec minus infanti conducere partum per vaginam superne sectam osque uteri manu, pharmacis, aliove modo reclusum, quam per incisionem uteri fundo vel corpori illatam educi, ejusque modi educationem, procul ut noceat, e contra favet symphyseos ossium pubis sectio, quippe quæ in abdomine quantum satis producta, dum pelvis diducta non æque ampliari potest, fœtum edi, semota vesica urinaria vixque læso peritoneo, patitur. Hanc vero parturientibus auxiliandi novam methodum adhibendi locus gratis fere omnino supponitur, cum nunquam hucusque in, Symphysiotomiæ ope, enixis advenerit. Suppositionem vero satius est dare quam cæsaream sectionem perverse amplius in posterum tentari concedere. Per tempus et praxis medicæ negotia non mihi licet, majore verborum copia sensa mentis scribere; ast argumentis controversis lacessitus, ea uberius evolvere voce conabor.

FINIS,